

niscentiæ. Nam quæcunq; occurrunt in artibus, sunt vel subjecta, vel prædicata, vel quæstiones: prout hîc à nobis delineantur. Omnes artes agunt de Deo, homine, bonitate &c. sed modo diverso.

APOLOGIA HUIUS LEXICI.

Quodcunque de re aliquâ in natura positâ cogitari & dici potest, de eo debet esse aliqua scientia. Cùm ergo cogitationes humanæ ita altè debeant ascendere, ut tandem subsistant in iis, quæ in nullâ disciplinâ inferiore explicari possunt, ideo oportet esse aliquam disciplinam, quæ de hisce generalissimis tractet. Talis est ars illa magna, quæ ipsâ Metaphysicâ superior est. Quid enim? Metaphysica explicat rationem bonitatis, non quatenus est applicabilis ad hanc vel illam bonitatem, sed quatenus est transcendens, quod refertur ad voluntatē. Ecce Metaphysicus utitur voculâ *refertur*. Unde eâ habet? Ex arte magnâ. Ibi enim agitur de relatione non prædicamentali illâ, sed aliquâ superiori. Ratio: quia inter ens & bonum & voluntatem est relatio, non prædicamenti, sed excellentior quædam. Ens enim & bonum sunt transcendentia: ideoque non considerantur in prædicamentis. Sed manum de hâc tabulâ. Quilibet abundet suo sensu. Ego nulli præscribo: sed liberè commemoro aliorum sententias: quæ si minùs approbæ, nigro theta, per me licet, notentur & jugulentur.

Ars magna
est superior
ipsâ Meta-
physicâ.

b